


F

Anf.



28.

DISPUTATIO PHYSICA
DE
ANIMA:

QVAM

D. T. O. M. A.

SVB PRÆSIDIO

Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,

DN. IOHANNIS HOMBORGII,

Opt. Art. & Phil. Magistri, Physicæ Pro-
fessoris Ordinarii,

Præceptoris ac Promotoris sui æter-
num observandi,

IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA

Ad diem XI Kal. Aprilis

Publicè disputandam proponit

IOHANNES HERMANNI

Luneburgensis.

(160) (160)



HELMESTADI;


Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad. typ.

CIC CI C X LV.



DE ANIMA

THESES I.



Lteram & præcipuam corporis viventis partem, nempe animam, generatim nunc consideraturi, initio probamus hujusmodi ens adeo nobile, quod voce hac animæ signatur, in rerum naturâ dari.

II. Certo enim certius est & evidens, animata seu viventia multas edere operationes, quarum nullam demortua exercere possunt. Sed quium hujusmodi operationum causa corpus esse nequeat, necesse est aliam adhuc in corpore esse reliquam, quæ tales operationes edat. Præterea caussam hanc oportet esse in corpore fixam & stabilem, quæ possit ejusmodi operationes continuare, ut quamdiu corpori præstò est, vita duret, & contrà statim atque ab eo discedit, esse desinat; atque sic corpus, hac caussâ commorante, vivat, eâ verò discedente, intereat. Hanc igitur caussam in rerum naturâ esse, ex ejus operationibus adeo conspicuis satis liquet, eamque Philosophis & cæteris Scriptoribus appellari Animam, communis consensus utrumque attestatur.

III. Deinde animata suis operationibus distinguuntur ab inanimatis: eorum enim quædam nutriuntur, accrescunt, decrescunt, generant sibi simile: quædam sensu tactùs pollent: quædam etiam locomoventur, cæterisq; facultatibus sensitivis instructa sunt: quædam insuper facultatem intelligendi & appetendi habent. Horum nihil inanimatis verè & propriè competit.

A 2

IV. De-

IV. Deniq; operationes hæ vitales tum plantarum
tum animalium, præsertim hominis, adeo variæ atque
præstantes sunt, ut suâ varietate & præstantiâ multùm ex-
cedant operationes corporum inanimatorum. Etenim
sive tantùm elementa, sive corpora ex ijs mixta spectes,
motum eorum, utpote à solâ naturâ profectum, simplicem
esse agnosces. Ita terra naturaliter fertur deorsum; ignis
sursum, & quæ ex elementis constant, motum naturalem
sui prædominantis sequuntur. Quin horum operationes
virtutem elementorum non excedunt, sed ab ijs maxi-
mam partem dependent. Quare illorum operationes adeo
nobiles arguere principium nobile, quod formas itidem
corporum inanimatorum longè superet, nemo addubita-
bit. Atque ita ex multitudine, diversitate & præstantiâ o-
perationum manifestum fit, animam in rerum naturâ dari:
nisi quis adeo sit vœcors, ut horum omnium nihil vel in se
deprehendere possit.

V. Quum verò non unius generis sit anima: alia e-
nim est vegetativa, alia sensitiva, & alia rationalis. Piores
duas considerationis phisicæ esse extracontroversiam est,
quia utriusque definitio naturæ competit. Quin si planta-
rum & animalium doctrina scientiæ naturalis propria est,
utique eorumdem formas considerare scientiæ naturalis
itidem proprium erit: cuius enim scientiæ est totum consi-
derare, ejusdem quoque erit partes essentiales totius con-
siderare.

VI. Tantùm id hīc controvertitur, an animæ ratio-
nalis tractatio pertineat ad Physicam, quia ea est imma-
teriata & separabilis à corpore. Verum quùm ea sit sub-
stantia incompleta & actus corporis organici, & forma en-
tis naturalis ut talis, nempe hominis, atq; insuper eidem a-
nimæ competit definition naturæ, quoniam est principium
risus,

risus, fletus, admirationis, intellectio-
nis, utpote motuum
& operationum naturalium ; liquidò patet , animam
rationalem, quatenus est actus corporis physici , & opera-
tiones naturales exerceat, ad Physicam pertinere.

VII. Neque ideo à tractatione hujus scientiæ exclu-
di potest vel debet, quia ex se & suâ naturâ ingenerabilis &
incorruptibilis est; alioqui cœlum & materia prima utpote
ingenerabilia & incorruptibilia ab hac scientiâ excluden-
da forent. Sed quæ animæ utpote substantiæ immateriatæ
quæ tali competunt, ea malo referre potius ad peculiarem
aliquam scientiam , alijs Quartam , alijs Pneumaticam ap-
pellatam, quam ad Metaphysicam: nam præterquam quod
entia immateriata quæ talia ab hac universalissimâ scientiâ
per modum considerandi excluduntur ; non est cur hæc
scientia se demittat ad considerandam in particulari po-
tiùs hanc substantiam, nempe immateriatam, quam illam,
nempe materiatam , quum ejus subjectum ad utramque
substantiam indifferenter se habeat. Etenim materiatæ
entia sunt entia, ut immateriata, proinde non magis hæc
quam illa sibi vendicabit. Vtraq; vero si in particulari &
quotenus talia sunt sibi consideranda sumat , modum
considerandi, qui quasi anima cuiusque scientiæ est, tran-
filiat & violabit, & omnium theoreticarum scientiarum
discrimen tollat; atque quod voluit Picus Mirandulanus,
complexus omnium earumdem evaderet; quin accidet, ut
in hisce scientiis adeo confusis atq; permixtis non amplius
transitus de genere in genus committi queat. Quare uti
materiatæ substantiæ sua peculiaris scientia constituta est,
ita quoq; immateriatæ suam itidem peculiarem assignan-
dam esse putamus.

IIX. Cæterum, ut in viam redeamus, et si satis evi-
dēs est dari animam, ejusque considerationem Physices

esse propriam; tamen quæ ejus sit natura & qualitas, non
ita in proclivi est scire. Id quod nec Alexandrum Aphrod.
fugit, quando librum suum 2 de anima his verbis orditur:
Quidnam anima sit, quævè ejus substantia, quæ itidem accidentia,
haud facile cognitu nec promptu est: verum abditissima est harum
rerum contemplatio. *Esse certè animam notissimum est, ac ma-*
ximè perspicuum est. Sed pleræq. res sunt, quas quum existere
apertissimum sit, earum tamen substantia occultissima est, cujus-
modi sunt motus & locus & tempus multò magis. Vnumquodq.
enim horum existere cognitum est: ceterū quæ sit eorum sub-
stantia, definire atq. explicare difficillimum est. In ejusmodi itaq.
classem anima quoq. refertur. Ipsam enim animam aliquid esse
tam notum est, quam quod notissimum: quid vero ea sit, cognitus
haud facile est,

IX. Itaque anima quum sitens; vel est substantia, vel
accidens: quod non sit accidens sic firmiter colligitur,
quia corpus animatum & inanimatum per animam diffe-
runt primò: ergo differunt vel accidentaliter, vel substancialiter.
Non accidentaliter: nam illud accidens vel est
commune, vel proprium. Non communne, quia tum pos-
set inesse tam inanimato quam animato corpori, & ita na-
tura viventis, communis accidentis instar, utrique ex. gr.
lapidi & plantæ simul inesse posset. *Quod esse nequit.*
Nec etiam est proprium, quia per nullum accidens prop-
rium aliqua differunt primò: omne enim proprium fluit
ab essentiâ propriâ, quæ uti naturâ prior est, ita quoque
priùs per eam corpus animatum ab inanimato differre ne-
cessere est. Ergo differunt substancialiter & quidem per sub-
stantiam, quia corpori animato quatenus substantiæ ni-
hil essentialiter competere potest, præter substantiam.
Nec enim ullum accidens ut tale tamquam pars essentialis
ad constituendam substantiam concurrere potest. *Quod*
adeo

ādeo certum est, ut quoque illi, qui quod unī est accidens,
alteri substantiam esse posse contendunt, fateri necesse ha-
beant.

X. Sed si est substantia, ut evicimus, & quidem na-
turalis; tum est vel materia, vel forma, vel compositum.
Materia non est *πόδες* n. h.e. non est aliquid determinatum
ad certam speciem, sed est ex se & suā naturā potentia passi-
va, apta nata recipere quamcunque formam. Forma est,
ex quā dicitur *πόδες* n., seu *quā* materia determinatur ad
certam speciem. Compositum ex materiā & formā con-
stat. Iam anima nec est materia, alias esset subjectum &
potentia passiva indifferenter se habens ad quamcunque
formam recipiendam. Nec corpus, quia hoc non est in
alio, de quo dicitur, anima verò est in alio, de quo dicitur;
est enim in corpore tali, quod habet vitam potentiam: ergo
anima non est corpus. Deinde qui animam corporis for-
mam esse ajunt, & illam nihilominus corpus esse statuunt,
eos corporis formam corpus esse affirmare oportet. Prēter-
ea aut corpus est forma animæ, aut anima est forma cor-
poris. Iam corpus est subjectum, forma est in subjecto;
corpus est quod determinatur ad certam speciem, forma
est, *quā* determinatur ad certam speciem. Quare anima
non est corpus, sed potius aliquid corporis nim. *εὐπελέχεια*
& forma.

X I. *Εὐπελέχεια* verò denotat perfectionem, quam
vocab ad verbum transtulit Hermolaus Barbarus *perfecti-
biam*. Sic autem vocatur, quia hæc perfectio est talis,
quæ rei *τὸ εὐπελέχειον* h.e. perfectionem afferat. Nec eam cum
Cicerone i. Tuscul. quæst. interpretamur motionem con-
tinuatam & perennem: nam et si motus est *εὐπελέχεια*, non
tamen omnis *εὐπελέχεια* est motus. Deinde si *εὐπελέχεια*
significat motionem, tum motio quoque, uti *εὐπελέχεια*,
dividen-

dividenda esset in primā & secundā. Insuper hæc interpretatio adversatur Philosopho, neganti animam esse actum secundum: nam si anima non est actus secundus, quomodo poterit esse *έντελέχεια*, quæ Cicerone interprete, est motio perennis & continuata, atque ideo actus secundus? Denique si omnis *έντελέχεια* est motio perennis, & nullus actus primus est motio perennis; ergo nullus actus primus est *έντελέχεια*.

XII. Hac autem voce, aliâs à multis exagitatâ, naturam animæ rectè exprimi vel hinc patet, quia eâ corporis animati quidditas & essentia atq; forma, quæ ejus est actus & perfectio, satis declaratur. Idem etiam innuit Alex. Aphrodis. 2 de animâ, c. 3: *Verum Aristoteles formam solet perfectionem appellare & έντελέχειαν.* Quare non ab re anima quoq; quum substantia secundum formam sit, ab ipso nuncupatur: nam quemadmodum eniūm quædam potentia, quædam entelechia esse dicuntur; quæ autem entelechia esse dicuntur, sunt formæ. Forma, quam habere poterant, ubi figuram accepissent, meritò id, cuius præsentia, quod potentia erat, in entelechiam transit, entelechia est. Verum animal, quod potentia est, ceus enim, per entelechiam fit animal, simul ac anima adfuerit. Erit itaq; hac ratione demonstratū, animam esse formam & entelechiam. Hinc quoque Cæsar Cremoninus de calido innato dict. 3 scribit: si fuissent, versati in natura, hoc vidissent, quod vidit Aristoteles, & est à nobis prædictum; & cognovissent, nihil esse, quod potuerit explicare essentiam animæ, quam dicere, quod est actus corporis instrumentarij: Per hoc enim constituuntur animata in proprio gradu supra inanimata, & declaratur essentia illius actus, quo informantur.

XIII. Actus verò duplex est, primus & secundus; primus est forma, quæ nec includit nec excludit operationem, seu quæ cum operatione & negatione ejusdem consistere

stere potest. Hic actus est vel substantialis, ut anima; vel accidentalis, ut habitus. Secundus est ipsa operatio formæ, ut nutritio, visio, intellectio. Anima verò non est actus secundus, quia etsi cessat ab operando, nihilominus tamen ut forma manet in corpore, idqne ad modum actus recepti per semetipsam actuat, informat & perficit, nec ideo confessim discedit, & animal mori necesse habet. Vel anima est actus primus & habitui scientifico non assimilis, quia uti habitus scientiæ indifferenter se habet ad contemplandum & non contemplandum, ita quoq; anima ad operandum & non operandum: & uti habitus est principium contemplationis, & à quo denominamur scientes, ita anima est principium operationis, & à quo denominamur viventes.

XIV. Verum enim vero ipse Philosophus 2' de anima c. i, cont. ii videtur nobis adversari, quando scribit: *animam non esse separabilem à corpore, seu partes quasdam eius, si suā naturā est partibilis, non est obscurum: quarumdam enim actus est ipsarum partium.* Verum quasdam partes esse separabiles, nihil prohibet; quia nullius corporis sunt actus. Vbi ex sententiâ quorumdam duo probare dicitur; primò aliquā animam ejusque facultates non esse separabiles, quia sunt actus quarumdam partium corporis, qualis est anima vegetativa & sensitiva cum suis facultatibus: secundò aliquas facultates esse separabiles, quia nullius partis corporis sunt actus, uti est intellectus animæ rationalis. Vero simile igitur fit eum asserere, non omnem animam esse actum corporis; quum tamen definitio debeat competere definito & quibuscumque sub eo contentis. Idem quoque sic videtur probari posse: omni actui ex intrinsecâ suā naturā, sive sit primus, sive secundus, semper convenit actuare suum corpus, idque constituere in esse suo actuali.

B

At

At animæ rationali non semper convenit actuare suum corpus, idque constituere in esse suo actuali: nam quando separata est à corpore, non amplius illud actuat, etiamsi actuare possit: igitur anima rationalis non est actus.

XV. Sed antequam hæc solvantur, quædam hic notanda sunt: primò id certum est, & jam probavimus, quod omnis anima sit actus primus, & sic porro ostendi potest: nam animata distinguuntur specie ab inanimatis, ut equus à lapide, sed non per materiam vel corpus, quoniam in utroque sublunaria corpora tam animata quam inanimata conveniunt: ergo distinguuntur per animam; per eam enim sunt, quod sunt, uti per ejusdem carentiam seu negationem inanimata sunt, quod sunt. Præterea quo unum corpus primò differt ab altero, id non est materia, sed actus; actus enim est distinguere unum ab altero, materia potius dicit rationem convenientiæ quam distinctionis. Ergo anima est actus primus.

XVI. Ipse quoque Aristot. 2 de anima c. 2, cont. 24, docet, animam esse principium, quo vivimus & sentimus & intelligimus primò. At quo vivimus, sentimus & intelligimus primò, id est actus primus. Igitur anima vegetans, sentiens & intelligens est actus primus. Et si anima rationalis non esset actus primus, tum Philosophi definitio non tam universalis esset, quæ omni animæ tribui posset, sibique ipse parùm constaret, quando scribit c. 1, cont. 7: *quod si commune aliquid de anima dicere oportet, erit utiq. actus primus corporis naturalis organici.*: & cont. 8: *Universaliter dictum, quid sit anima.*

XVII. Ex quibus rectè perpensis manifestum fit, animam quoque intelligentem sub definitione istâ communis comprehendendi, & esse actum primum, nec locum antè citatum nobis adversari posse, nisi prius ipsum Philosophum

phum sibi adversari velis. Eo verò in loco, qui nobis contrarius apparet, hæc est mens Philosophi, nimirum aliqua anima & quædam ejus facultates non possunt separari à corpore, quia sunt actus quarundam partium corporis; seu quia nonnullæ facultates suis organis corporeis adeo affixæ sunt, ut sine iis nullam operationem edere possint, proinde earum organa obstant, quare separari non queant: quædam verò facultates nulli organo corporeo alligatæ sunt, proinde adminiculo organorum suas operationes non excent, nec ab iis, quominus separabiles sint à corpore, prohibentur. Neque enim Philosophus simpliciter adfirmat, eas partes seu facultates animæ, ideo quia sunt nullius corporis organici actus, esse separabiles, quoniam de veritate hujus propositionis poterat minimum dubitari: forma enim elementi seu corporis similaris non est actus corporis organici, nec ab ullo organo impeditur, quin separari possit, neque tamen ideo est separabilis à suo corpore. Potest alia esse ratio, quare hæc vel illa forma non sit separabilis, & sufficit eam educitam esse ex potentia materialiæ, & ideo in fieri, esse & operari dependere à materialiæ, nec ad momentum sine eâ naturaliter subsistere posse. Itaque hoc tantum vult, quasdam facultates, quia in operando organis corporeis non sunt affixæ, non prohiberi ab ullo organo, quin separari possint, atque sic Philosophus ex eo, quod intellectus non habeat organum, non necessariò colligit eum esse separabilem, sed tantum negat intellectum seu animam intelligentem esse actum organicum: nam facile fingi nequit, ait in *de anima c. 9, cont. 92*, quam corporis partem intellectus occupet. Ex his quid ad locum citatum, seu argumentum ex eo allatum responderi debeat, patet.

XIX. Quod verò attinet alterum argumentum,

B 2

scien-

sciendum est actum primum & secundum dupliciter differre. Actus enim primus habet se ad modum formæ permanentis; quum det esse subjecto: actus vero secundus habet se ad modum transeuntis, quum sit operatio a primo promanans, deinde actus primus est res quædam, secundus est modus rei: hinc primus naturaliter & supernaturaliter potest separari a subjecto, & sine eo per se subsistere, & actu quoque separatur, uti de anima rationali creditur, & firmiter demonstrari potest; secundus vero separari & per se subsistere non potest: modus enim entis sine eo, cuius est modus, esse nequit; quia de natura modi est, ut rei, quam afficit, actu sit unitus, sic fessio a sedente separari nequit.

XIX. Hinc jam liquet, quomodo forma nihilominus possit esse actus primus, etiamsi actu non informet, modo ex se & sua natura habeat intrinsecam & transcendentalē habitudinem ad informandum & actuandum suum subjectum. Et si forma dicitur forma, modo ad informandum subjectum naturaliter propendeat, utique actus dicitur actus, modo ad subjectum actuandum naturaliter propendeat. Verum actus secundus, quum sit quasi actualis dependentia alicujus effectus ab agente, ejusque caussatio & exercitium, non potest esse, nisi ab eo actu promanet. Quare ad majorem respondemus distinguendo, quod quidem omni actu tam primo quam secundo ex se & sua natura conveniat actuatio, sed diversa ratione: nam actu primo convenit tamquam formæ permanenti, quæ ideo subjectum suum vel actu informat, vel apta nata est informare: hujusmodi enim forma e. g. anima rationalis præter substantiam incompletam & entitatem partiale dicte formalem capacitem & aptitudinem ad informandum. Sicut vero ea non per accidens ali-

quod

quod sibi superadditum corpus informat, sed per propriam entitatem; ita non est formaliter capax aut apta ad informandum per accidens aliquod sibi superadditum, sed per propriam entitatem. Aetui autem secundo ab intrinseco convenit ipsum exercitium actuationis.

XX. At inquires verba definitionis tantum loqui de actu, non de aptitudine. Sed respondeo, verba definitionis non tantum actum sed etiam aptitudinem includere, quando verò importent solum actum, vel insuper aptitudinem, ex naturâ definiti. judicandum est: nam is non modò Grammaticus est, qui quæ sunt considerationis Grammaticæ, contemplatur, sed qui horum etiam habet habitum, ut remotis omnibus impedimentis extrinsecis, quum voluerit, ea possit contemplari. At non ideo puer statim est dicendus Grammaticus, quod capax sit artis Grammaticæ, & in potentia sed remotâ ad descendam Grammaticam: nam hujusmodi puer, sine præviâ alteratione sui intellectus non potest sibi ejus scientiam parare. Quomodo enim intellectus omnium rerum rudis potest reddi eruditus, sine magna & præviâ sui alteratione? Sed videatur Aristoteles 2: *de animâ c. 5, cont. ss.*

XXI. Verum quum anima sit actus primus, est aliquid corporis & quidem naturalis, vitam potentiam habentis. Hujusmodi vero corpus est organicum: si enim plantæ, quæ inter viventia infimi ordinis sunt, habent corpora organica, reliqua etiam viventia, plantis nobiliora, corpora organica habeant oportet. Diversitas quoque operationum satis arguit diversitatem organorum, quæ ejusmodi operationibus exsequendis natura destinavit, & ideo congrua esse necesse est: anima igitur est forma corporis organici.

XXII. Ut autem eò rectius tota definitio & quiditas

ditas animæ intelligatur, quid per corpus hoc organicum intelligendum sit, inquirendum est: nam alii per corpus intelligunt materiam primam, non quidem nudam, sed suis debitibus organis instructam, atque alteram partem compositi: alii ipsum corpus compositum, ex animâ & corpore constans, sicut anima rationalis dicitur forma hominis, ut potest totius compositi & animam & corpus includentis. Vtraque sententia etsi probabilis est, tamen posterior menti Aristotelis convenientior est, & nobis magis probatur: nam 2 de animâ c. 1, cont. 10. ait, non quod animam abiecit, sed quod habet, est id quod potestatem habet ad vivendum: semen autem & fructus potentia corporis tale: cont. quoque & anima non est quidditas & ratio corporis huiusmodi: sed corporis naturalis eiusmodi, quod in se habet principium motûs & statûs. At materia organizata animam actu non habet, sed eâ caret; corpus vero, quale hoc loco intelligit Philosophus, & quod potestatem habet ad vivendum, non est id, quod animam abiecit seu eâ caret, sed quod eam habet & non eâ caret. Præterea illud corpus intelligitur hic, cuius anima est quidditas, & quod in se habet principium motûs & quietis; materia vero organizata quidditas non est anima, nec illa in se habet principium motûs & quietis: materia igitur organizata per corpus organicum hoc loco à Philosopho non intelligitur.

XXIII. Eam quoque mentem ejus esse statuit S.Thom. i.p. q.76. a.4. ad 1: Aristoteles non dicit animam esse actum corporis tantum, sed actum corporis physici organici vitam habentis, & quod talis potentia non abiicit animam. Vnde manifestum est, quod in eo, cuius anima dicitur actus, etiam anima includitur, eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi; non quod seorsim sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem. Et similiter dicitur quod anima est actus corporis

poris &c. quia per animam & est corpus, & est organicum, & est potentia vitam habens. Et idem jam pridē sensit Alexander Aphrod. 2 de animâ c. 5: quoties autem dicimus animam esse corporis naturalis potentiam vitam habentis, non sic vocem hanc potentia tunc de corpore prædicamus, ut solemus de iis loqui, quae nondum aliquid habent, apta cum sint ad recipiendum. Neg, enim id corpus prius est sine animâ, postea ipsam accipit. Sed est quod potentia vitam habet, hoc est, quod potest vivere, quod organa obtinet ad vitæ munia obeunda. Idemq; est potentia vitam habens quod organicum.

XXIV. Idem insuper probatur ratione; quia anima utpote forma naturalis clariūs & distinctius definitur per finem proximum à natura præscriptum, quam per medium, cuius interventu finem illum proximum demum consequitur. Finis verò proximus est constitutio corporis animati potentiam vitam habentis, seu vitales operationes exercere apti nati. Informatio autem materialiæ organizatæ solum est medium ad eundem finem obtinendum, & huc tendit, ut corpus animatum fiat & constituatur. Deinde essentialis ratio cujuslibet formæ sumitur ab ejus effectu formalí primario, quem tribuit subjecto, prout ei unitur, nec hic effectus potest esse vel adprehendi sine entitate, à quâ producitur, neque talis entitas potest uniri subjecto, quin talem effectum largiatur, quia est ipsa essentia quatenus unita; sic albedinis effectus formalis primarius est reddere subjectum album; item animæ effectus formalis primarius est reddere corpus animatum. Quare anima potius per hunc effectum formalem primarium, quem corpori animato tribuit, quam per materiam organizatam definiri debuit.

XXV. Denique hæc verba, potentiam vitam habentis, itidem dupliciter accipiuntur, primò de potentia essentiiali,

tiali, quando corpus adhuc caret animâ ; secundò de potentia accidentalis, quando corpus quidem animam habet, sed est nihilominus in potentia ad vitales operaciones exercendas. Ut verò sensus probabilius sit, disquiritur. Qui in definitione animæ per corpus intelligunt materiam organizatam, iij hæc verba volunt intellecta de potentia essentiali; qui autem per corpus intelligunt totum compositum, iij hic potentiam accidentalem denotari ajunt. Nos si consequenter loqui volamus, posteriorem sententiam amplecti oportet: nam ut antè per corpus organicum totum compositum, quod includit animam, intelligendum esse probavimus, ita hæc verba de potentia accidentalis nobis explicanda sunt: nam quomodo esse potest, ut corpus jam actu in se habens animam, adhuc sit in potentia ad eam recipiendam?

XXVI. Eadem quoque hæc verba, potentia vitam habentis, æquivalent hisce proximè præcedentibus in definitione, corporis organici. Ideo verò illa hisce subjunguntur, quia aliquanto clariora sunt, & prioribus faciem allucent. Integra igitur definitio animæ est talis: Anima est actus primus corporis physici, organici, potentia vitam habentis. Atq; ita in genere nobis Philosophus animæ utpote formæ informantis naturam per respectum ad corpus, ad quod informandum intrinsecam & transcendentalem habitudinem dicit, definire voluit.

XXVII. Cæterum præter hanc definitionem adhuc aliam, quæ priorem dilucidiū explicet, & ejus causam quodammodo contineat, cum Philosopho indagare operæ pretium est. Supponimus verò initio animatum ab inanimato differre vitam. Vivere autem multifariam dicunt, communiter & minus propriè prædicatur de aquis, quæ scaturiunt & perennant; uti quoque de igne, qui
præ

præ cæteris corporibus inanimatis maximam cum corporibus viventibus analogiam habere videtur. Altera & strictior magisque propria ejusdem vocis acceptio interdum tribuitur operationibus vitalibus, quæ unius generis non sunt, & tum vivere idem est atque operationes vitales exercere; id quod docet Arist. 2 de anima, c. 2, cont. 14: *Quum autem vivere multis modis dicatur; etiam si unum quidpiam horum tantum insit, dicimus ipsum vivere, ut intellectus, sensus, motus & quies secundum locum; præterea motus secundum nutritionem & actionem & diminutionem.* Interdum competit ipsi actui primo & principio vitali, atque hoc modo vivere dicuntur, quotquot actiones vitales edere possunt, et si semper non exsequantur. Hinc iste actus primus alijs dicitur vita essentialis & radicalis: est enim vita hoc modo accepta quasi radix operationum vitalium.

XXIX. Anima verò seu vita vegetans omnibus viventibus corporibus tribuitur, quoniam habent in se principium intrinsecum, quo nutriuntur, accrescunt & decrescunt secundum omnem dimensionem. Atque hæc anima sine reliquis animabus esse potest, sed reliquæ absque hac esse non possunt: nam ea est quasi basis cæteris omnibus substrata. Hinc fit, ut hac intereunte, reliquæ discedere necesse habeant. Quare anima vegetans omnium communissima audit diffusa per omne genus animatorum: hæc enim vitam dat plantis, quæ nec alioris ordinis animam expetunt nec habent, sed hac contentæ suas vitales operationes exercent.

XXIX. Sensitiva verò constituit animal, sensumq; tactūs impertit; ut posito tactu ponatur animal, & negato tactu negetur animal. Quemadmodum autem facultas

C

cultas

cultas nutritivā potest separari à tactu; ita tactus (á quo
sensum gustūs, qui quidam tactus est, non excludo) sepa-
rari potest à cæteris sensibus. Præterea sensus tactus
competit omnibus animantibus, sicuti omni corpori vi-
venti facultas nutritiua tribuitur.

XXX. Harum verò operationum omniū principium
est anima, proinde ex his talis definitio ejus colligitur,
quòd sit principium, quo vivimus, movemur, sentimus
& intelligimus primò. Verùm uti id, quo sani sumus,
dicitur bifariam: sani enim sumus partim toto corpore,
seu aliquā ejus parte, cui sanitas inest, partim sanitate
ipsā, utpote formā subiecto inexistentē: ita quoque id
quo vivimus & sentimus dupliciter capit, partim ra-
tione materiæ seu subjecti, quod vitæ & sensus est parti-
ceps, partim ratione formæ, seu ipsius animæ, quæ est a-
ctus & principium vitæ. Nos hīc in posteriori acceptio-
ne id, quo vivimus, sentimus & intelligimus, accipimus;
anima enim est illud principium, quo tamquam formā
vivimus, sentimus & intelligimus primò.

XXXI. Verùm quūm tria sint animarum genera
quatuor verò animatorum, subdubitatur, quare non pari
modo tot numerentur genera animarum, quot genera a-
nimatorum: diversa enim genera animatorum satis vi-
dentur arguere diversa genera animarum, sicuti diversa
genera operationum arguunt diversa genera animarum.
Quam quoque ob causam Aegidius & Cajetanus aliud
novum genus animæ scil. motricis ponendum esse putā-
runt. Sed quūm motus localis à facultate motrice oria-
tur, nec excedat virtutem animæ sentientis, sed potiūs
ejusdem ordinis sit cum cæteris operationibus hujus ani-
mæ proprijs, patet, motum localem novo generi animæ
intro-

Introducendo minime sufficere. Observabis quoque diversa genera animarum ex solis essentialibus, diversa vero genera animatorum ex ordine ad subjecta sive animata, prout unum genus in ijs reperitur separatum ab alijs, arcessenda esse.

XXXII. Ut vero paullò uberiùs hoc explicemus, necesse est; quia huic doctrinæ, quam nunc tractamus, non parum lucis inde adferetur. Evidens est, ipsa animata diversi esse ordinis, & inanimatis longè praestare, ac ipsas quoque operationes animatorum diversimode excedere operationes in animatorum. Nam illarum aliae ita elevatae sunt supra naturam corporis, ut absque omni organo corporeo producantur; quales operationes propriæ sunt animæ rationalis, & ideo inorganicæ dicuntur: aliae et si inferioris ordinis sunt, & organo corporeo producuntur, atque ideo organicæ dicuntur; non tamen fiunt per aliquam corpoream qualitatem, atque hoc modo suas operationes exercet anima sentiens: nam etiamsi calidum, frigidum, humidum, siccum & ceteræ qualitates corporeæ necessariæ quidem sint ad operationes sensuum, non tamen eo modo ut mediante virtute harum qualitatum hujusmodi operationes exerceantur, sed ut tantum organa sint bene disposita: aliae denique operationes utpote animæ vegetantis, et si non fiunt absque organo corporeo & virtute elementari; concoctionis enim & augmentationis concaussa est ignis h. e. calor: nihilominus tamen in eo excedunt operationem corporis inanimati seu non viventis, quia fiunt & producuntur ab intrinseco principio vitali.

XXXIII. Præterea quò potentia alicujus animæ est altioris ordinis, eo universalius habet objectum: po-

C 2 tentiæ

tentia enim animae vegetantis occupatae sunt tantum circa suum corpus, quod animae unitum est. Aliud vero genus potentiarum animae respicit universalius objectum, nam omne corpus sensibile & non solum corpus animae unitum. Tertium genus potentiarum adhuc universalius habet objectum, scilicet ens universaliter summum. Atque sic duo haec posteriora genera potentiarum animae habent quoque pro objecto res externas. Modi autem vivendi distinguuntur secundum gradus viventium: quaedam enim tantum vivunt, ut plantae, & hoc est primum genus viventium: quaedam vivunt & sentiunt ut zoophyta, & hoc est alterum genus viventium: quaedam vivunt, sentiunt & quoque toto corpore loco moventur ut animalia perfecta, & hoc est tertium: quartum vero genus constituit homo, utpote intellectu praeditus.

XXXIV. Tandem hic non incommodè queritur, qualis igitur forma sit anima; informans ne an adsistens. Forma alias communiter in informantem & adsistentem distinguitur. Illa est, quae per sui unionem cum corpore organico constituit per se corpus animatum. Haec vero est, quae corpori jam in esse suo specifico constituto supervenit, & adjungitur ad nobiliores aliquas operationes exercendas; quales formae sunt intelligentiae, quae circummovent orbes coelestes. Sed rem hanc exemplo declarabo: navis, ante adventum nautae, jam per suam formam specificam in certa specie corporum artificiarium constituta est, & ideo navi jam habenti suum esse specificum supervenit nauta, nec dat illi esse specificum, ut quae nondum erat navis, jam primum fiat navis; sed dat quoddam esse nobilius, ut navis, quae suo nauta tam-

quam peritissimo gubernatore utitur, quam optimè cursum suum conficiat. Quare nauta est forma tantum adsistens & separata à navi atque extra ejus essentiam subsistens. Nam potest nauta esse sine navi, & navis sine nauta: quin nauta non habet omnes suas operationes communes cum navi, quia potest hoc vel illud liberè vel le, potest ratiocinari & contemplari cœlum, motumque siderum notare. Idem dico de intelligentijs, quæ itidem sunt formæ adstantes, & sine orbium cœlestium concursu esse & operari natæ, nec cum ijs omnes suas operationes communes habent; possunt enim citra eorum concursum semetipsas contemplari atque plura alia cognoscere. Et si rem rectius consideremus, tum forma adsistens non modò impropriè dicitur forma, sed potius caussæ efficienti annumerari debet. Sed hac de re in Metaphysicis agitur.

XXXV. De animâ vegetativâ & sensitivâ, quum ē potentia materiæ educantur, & in fieri, esse & operari pendeant ab eâ, quin sint formæ informantes, haut dubitatur: Sed de animâ rationali res videtur esse dubia. *Primo*, quia anima rationalis est spiritualis, corpus vero materiale; jam inter materiale & spirituale non potest esse unio per se: igitur anima rationalis per se corpori uniri nequit. *Secundò*, anima rationalis est actus subsistens & separabilis à materiâ: igitur non est actus seu forma informans, consequentia inde probatur, quia formæ informantis est inhærere, & actus informans & subsistens habent rationes existendi sibi oppositas: nam forma informans est inseparabilis & dependens à materiâ, forma vero subsistens est separabilis & independens à materiâ. *Tertiò*, si anima intelligens quâ talis, est forma in-

C. 3

formans.

formans & per se unita corpori, tum illa unio vel est substantia ipsius animæ, vel accidens. Si substantia; ergo dissoluta unione, substantia perit, & sic anima corruptitur. Si accidens, tum vel est separabile, vel inseparabile. Si inseparabile; ergo eo remoto', simul anima destruitur, alioquin non esset inseparabile. Si separabile; ergo potest manere anima unita corpori absque unione, & sic unita erit absque unione, quod est impossibile: ergo anima per se non est unita corpori nec ejus forma informans.

XXXVI. Verum antequam solvamus ista argumenta, probabimus, animam rationalem quam talem verè informare corpus, & veram esse formam informantem. Animam verò (quod notandum) vegetantem aut sentientem ut talem informare corpus, nihil aliud est, quam tribuere corpori per veram informationem gradum vivendi, vel sentiendi; ita ut verum sit, plantam esse formaliter viventem, & animal esse formaliter sentiens: quare animam rationalem ut rationalem, seu secundum gradum rationalitatis informare corpus, itidem nihil erit aliud, quam tribuere corpori gradum rationalitatis per veram informationem; ita ut similiter verum sit, hominem esse formaliter rationalem. Itaque si anima rationalis non est vera forma informans hominis, utique homo verè non intelligit seu ratiocinatur. At ipse homo est is, qui verè intelligit & ratiocinatur, ut cuique per experientiam constat: ergo anima rationalis est vera forma informans hominis. Consequentia probatur, quia non intelligit per corpus, nec enim corpus est intellectionis principium, quo homo intelligit primò; quin si corpus organicum quam tale esset hujusmodi principium,

pium, utique omne corpus organicum esset tale principium. Nec alia pars essentialis hominis est reliqua, per quam intelligat praeter animam rationalem. Sed dices, intellectum jungi homini per phantasmatata, & sic intellectu intelligente, hominem intelligere. Verum dum ponitur intellectus separatus ab homine, haec ejus conjunctio per phantasmatata non reddit hominem intelligentem: nam et si a phantasmatibus & quodammodo a corpore hominis accipit iste intellectus speciem intelligibilem, & ita suo modo conjungitur per phantasmatata homini, tamen ex hac coniunctione non recte infertur ipsum hominem intelligere, seu actionem intelligendi ideo homini tribui posse; sed potius inde sequitur ipsa phantasmatata per species intelligibiles ab anima cognosci, quum phantasmatata illa respectu intellectus vice objecti & rei cognitae, non vero cognoscentis fungantur. Quare non magis per phantasmatata homo redditur intelligens, quam paries per colorem, qui movet visum, fit videns: quin non ipsa phantasmatata sed species ex ijs elicitae junguntur intellectui, sicuti non realis color parieti inhærens, sed ejus species jungitur visui.

XXXVII. Deinde homo per animam rationalem differt specie a cæteris animantibus: ergo anima rationalis est forma informans hominis. Major per se est nota, quia differentia specifica communiter a formâ sumitur. Minor dupliciter probatur; primò, quia homo differt specie ab alijs, quatenus est rationalis; est vero rationalis per animam rationalem: secundò, quia per id unaquæque res differt ab aliâ, quod ei est primum principium propriarum suarum operationum; propriæ vero operationes propriam formam arguunt. Sed anima rationalis

tionis est tale principium: ergo per animam rationalem differt specie à cæteris animantibus,

XXXII X. Eamdem denique sententiam menti Aristotelis ad primè convenire, vel ex his constabit. Nam primò is l. i & 2 de animâ tam prolixè de doctrinâ hac agit, & vocem hanc tam latè accipit, ut tantum absit, ut animam rationalem ab hac doctrinâ excludat, vel sub eâ voce non comprehendat, ut potius ejus considerationi integrum ferè librum tertium de animâ impendat. Et si animam rationalem cæterarum omnium facile principem ab hac doctrinâ exclusam vellet, utique eo nomine non minus reprehendi mereretur, quam antiqui ab ipso ideo reprehensi, quod animam vegetantem & sentientem prætermisissent, & solam animam humanam considerassent. Accedit quod ipse Philosophus quatuor genera animatorum esse non semel pronuntiat, & inter ea intellectivum à cæteris distinguit; quin disertè ait animam esse id, quo vivimus, sentimus & intelligimus primò: hinc validè colligitur animam rationalem sub voce animæ ejusque definitione ab Aristotele fuisse comprehensam. Deinde idem Philosophus passim demonstrat omnem animam, nullâ exceptâ, esse actum primum & formam corporis organici: per formam verò intelligit eam, quæ eidem dicitur *z Phys. c. 1, cont. 11* natura, quæque est alterum principium corporis naturalis *1 Phys. c. 8, cont. 12, 65*: ex qua & corpore per se confit compositum *z de animâ c. 1, cont. 3*: quæ est ratio quædam & forma, non ut materia & subjectum *c. 2, cont. 24*: quæ se habet ad corpus, ut figura seu essentia securis ad securim, estque quidditas & ratio corporis naturalis *c. 1, cont. 8*: & deniq; *c. 4, cont. 36*

& 37.

& 37 disertè dicitur anima esse caussa efficiens, finalis, formalis; jam hīc non aliam intelligit caussam formalem, quām quæ est essentia corporum animatorum, ut ipse met se hoc loco explicat. Quare quūm nihil horum de formâ adsistente verè & propriè adfirmari possit, liquet, juxta mentem quoque Aristoteli, s animam rationalem esse formam informantem, quā homo est homo, & sub animali tamquam genere in certâ specie collocatur.

XXXIX. Nunc ad argumenta supra allata respondeamus & quidem ad primum negando consequentiam, scil. formam incompletam & spiritualem non posse per se uniri corpori; quūm hujusmodi forma substantialis incompleta perficiatur modo sibi intrinsecè inhärente spirituali, qui ex se & suā naturā respicit corpus tamquam terminum: nam uti cæteræ formæ incompletæ materialiæ perficiuntur & complentur per sui unionem, ita nihil obstat, quò minus anima rationalis, utpote forma incompleta spiritualis, perfici queat; unio enim æqualiter respicit utrumque extreum atque perficit, quia utrumque est æqualiter ens incompletum & perfibile, & per unionem non minus formam materialiæ, quām materialiæ forma unitur. Ad secundum dicitur, quòd formæ substantiali incompletæ non repugnet informatio, nec forma adsistens in eo differat ab informantे, quod hæc sit dependens & inseparabilis à materia, illa verò independens & separabilis ab eâ, sed quod informans longè aliter subjectum suum actuet & perficiat quām adsistens: informans enim est actus essentialis corporis, qui per sui unionem perficitur substantialiter, quod de adsistente nequaquam adfirmari potest; & licet omnis forma dependens sit informans, non tamen o-

D

mnis

innis informans est dependens. Quare per dependen-
tiam vel independentiam à materia non differt forma in-
formans ab adstante, sed per modum actuandi. Hic
modus quām diversus sit, diversitatem formarum parit.
Ad tertium respondemus primò per instantiam; materia
enim per se est unita formæ aëris, jam illa unio vel est
substantia materiæ, vel accidens: si substantia; ergo dis-
soluta unione, substantia perit, & materia corrumpitur:
si accidens, tum est separabile vel inseparabile. Si insepa-
rabile; ergo eo sublato, materia simul destruitur, alio-
quin non esset inseparabile. Si separabile; ergo potest
manere materia unita formæ absque unione, & sic unita
erit absque unione, quod est impossibile: ergo materia
per se non est unita formæ aëris. Deinde ad argumen-
tum respondeatur, illam unionem, per quam anima unitur
corpori, non esse ejus substantiam, sed potius modum
substantiæ. Consistit verò ille modus in animæ qua-
dam habitudine transcendentali ad corpus humanum
sufficienter dispositum, ut ex eo & animâ tamque ex po-
tentia & actu fiat unum per se. Quare quando anima
separatur à corpore, non quicquam de ejus substantiâ
deperditur, sed solummodo modus substantiæ, seu ha-
bitudo illa substantialis ob defectum dispositionum cor-
poris, quas ratio ejusmodi habitudinis connotat: hæc
enim habitudo seu modus nec est accidens nec substantia,
sed modus substantiæ, qui adesse & abesse potest sine
substantiæ interitu. Id quod ex hoc exemplo manifestis-
simum esse potest; una guttula aquæ seorsim subsistens
est suppositum, ea verò si alteri portioni aquæ adfundat-
ur, seorsim subsistere desinit, ejusq; suppositalitas perit;
quamvis aquæ essentia integra maneat. Sed hæc de
animâ in genere jam sufficiant.

Coro-



Coronidis loco

I.

Doctissimus Pacius in c. 6, l. 3 de animâ scribit:
Quoniam facultates respectu animæ manent, quemadmo-
dum facultas equitandi in equite, sublati omnibus equis:
ideo necesse est, vel animam aliquando recipere corpus,
vel hæc potentias frustra retinere, quia verò nulla poten-
tia frustra esse potest secundum Aristotelis & veræ Phi-
losophiæ principia, propterea quod Deus & natura nihil
frustra operantur: fatendum est, animam aliquando rece-
pturam corpus. Ex quibusliquet, quoniam principio
doctissimus Pacius conetur hic adstruere futuram
resurrectionem mortuorum. Verùm tantùm ab-
est, ut hoc principio huic dogmati unicè cre-
dendo fidem faciat, ut potius eam infirmet: nam
sufficit potentias illas fecisse aliquando suum of-
ficium & in actum fuisse deductas: idque vel de
potentiâ auctrice, quæ reliqua manet in vivente,
quamdiu vivit, adfirmare nos oportet: nec ta-
men ideo ea vel est frustra, vel postquam animal
ad debitam magnitudinem pervenit, de novo ali-
quando ad suum munus redditura est secundum
Aristotelis & veræ Philosophiæ principia. Quin

D 2


sine

Sine dubio potentia nutriendi & generandi, & aliæ quædam potentiae sentiendi in homine omni ex parte felici in alterâ vitâ cessabunt à suis functionibus; nec tamen inde tale quid cum Pacio colligere licet.

II.
Anima rationalis nec generatur ex semine, nec ex animâ alterutrius seu utriusque parentis, sed infunditur, seu potius creatur divinitus in corpore organizato & jam habili ad tam nobilem formam recipiendam.

III.
Anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte ejusdem corporis.

F I N I S.



99 A 6919



56.

Retro. ✓

VD17



D
I
S
P
T



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-573051-p0032-9

DFG

B.I.G.

Farbkarte #13



28.
DISPV TATIO PHYSICA
DE
ANIMA:
QVAM
D. T. O. M. A.
SVB PRÆSIDIO
Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,
DN. IOHANNIS HOMBORGII,
Opt. Art. & Phil. Magistri, Physicæ Pro-
fessoris Ordinarii,
Præceptoris ac Promotoris sui æter-
nūm observandi,
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIA
Ad diem XI Kal. Aprilis
Publicè disputandam proponit
IOHANNES HERMANNI
Luneburgensis.
160 (160)
HELMESTADI,
Ex officina HENNINGI MULLERI, Acad.typ.
CIC CI CIC XCV.

